

15 A IN HOC LIBRO
CONTENTA.

A.V.C.

- | | |
|--|---------------------|
| 1. Dilucidatio Philosophica de Deo, Anima humana, mundo et generalibus rerum affectionibus. | Bülf |
| 2. Specime Physica Rationalis de Corporum Coelestium natura et motu | Ayrm |
| 3. Phoenomenon Singulare Solis coelo sereno siccitatis ad rationes reuocatum | Thümmig Hald. |
| 4. d. Specul Archimedis, quo classem Mathematicam incendisse. Albert. H. Ponco - Catoptrica. | B. Uffinger Tübing. |
| 5. Examen Systematis Solium Dimidiaturum. | Gr. Wolffius Hald. |
| 6. Phoenomenon Singulare de Malo Pomifera absq; floribus ad rationes Physicas reuocatum. | Gr. Wolffius id |
| 7. d. Fato Physico et Medico eiusq; rationali explicatione | F. Hoffmann id |
| 8. Observationes Olencticae in Controversia Wolffiana. | Hollmann L. II. Fr. |

Hc. 29

8

FRIDERICI HOFFMANNI
DE
FATO PHYSICO
ET MEDICO
EIUSQVE
RATIONALI EXPLICATIONE
DISQUISITIO

IN QUA

MULTA SUBTILIORIS INDAGINIS ARGU-
MENTA DE FATO STOICORUM, SPINOZÆ, MEDICO ET
PHYSICO, DE FORTUNA, PROVIDENTIA DIVINA, HARMONIA
PRÆSTABILITA, MIRACULIS NEC NON DE DECLINATIONE
FATI CURATIUS PAULLO TRACTANTUR ET EXCU-
TIUNTUR.



HALÆ MAGDEBURGICÆ,
TYPIS CHRISTIANI HENCKELII, ACAD. TYPOGR.

ERIDERICI HELLWANI
FATO PHYSICO
ET MEDICO

RATIONALI EXPLANATIONE

MULTA SUBLIORIS INGENII ARCA
MENSA DICTATO STOICORUM, SPINOSE, MEDICO ET
PHYSICO, DICTIONARIO THEOPHILICO DIVINI, HARMONIA
TRADITIONUM, MIRABILIA, NISUS NON DE PROLIFERATIONE
SALVATRICITATIS, MIRABILIA, TRAESENTUR ET EXCUN
TINENTUR.



LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF HANOVER
ACADEMIC LIBRARIES



Q. D. B. V.

DE
FATO PHYSICO
ET MEDICO
EIUSQUE
RATIONALI EXPLICATIONE

DISQUISITIO.

PROOEMIUM.



I ulla unquam paullo
subtilioris indaginis materia, cla-
rissimorum virorum certatimi
provocavit industriam, eorum-
que acutissima etiam torsit &
exerceuit ingenia; profecto ea est,
qua de fato, fortuna, infortunio,
casu & caussis eventuum in hoc universo, a priscis iam
temporibus innovuit, & inter omnis ævi & sectæ Philoso-
phos summa agitata fuit contentione. Quamvis at-

A

tema

tem in euncleando arduo hoc argumento, summi & magni nominis Philosophi tantopere, desudarint, suasque de eodem meditationes innumeris propemodum scriptis divulgariunt; re tamen proprius inspecta, eos nihil quod solidum, stabile & dubitationis expers sit, proposuisse, ingenue dicendum est: ita prorsus, ut non-nisi dissidentes opiniones, miras dubitationes & obscuros terminos in illis quos de fato concinnarunt libris reperire liceat, & nodum Gordium, aut Sphyngis plane ænigma, sapientissimis quoque inenodabile, subesse, iudicandum sit. Neque quisquam hæc ita esse mirabitur, qui curatius perpendet, Philosophorum antiquiores non solum vera Dei cognitione, sed etiam solida & exquisita rerum naturalium scientia plane non imbutos, & via ac methodo inveniendi & demonstrandi veritatem destitutos fuisse. Quapropter sicuti omnes fere disciplinæ ut physica, metaphysica, medicina & scholastica theologia, a veteribus minus recte tractatae atque excultæ fuerunt, eo quod multos obscuros, intricatos & dubios terminos, quibus nil preter ignorantiam suam prodidere, ad evolvendas res adhibuerunt; ita etiam in moralibus, politicis ac naturalibus quasdam voces ex eodem inscitæ fonte profluxisse, dicendum est. Etenim tam deplorata quidem & misera mentis humanæ est conditio, ut omnes qui veritatem amant & colunt, ingenue fateri debeat, eandem in rebus aliquanto sublimioribus dijudicandis & explicandis, imbecillem, truncam esse & mancam; nihilofecius tamen tanta corruptio, tamque perversa superbia mortalium ingenio infidet, ut in

in rebus subtilioribus, quæ captum ipsius transcendunt, explanandis, hanc suam ignorantiam profiteri nolint, sed potius rerum abditarum modum & caussas, confitit quibusdam speciosis, sed nihil significantibus terminis, prorupta eruere contendant audacia. Notissimæ fane sunt in physicis sympathiæ, antipathiæ, virtutis attractricis, occultæ qualitatis, formæ substantialis, fugæ vacui, voces, in medicis naturæ, spiritus insiti & influi, archei, principii vitalis, errantis, sapientis, consensus partium, antipraxiæ, aliæque in cæteris disciplinis innumerabiles propemodum denominaciones, quas hoc loco omnes commemorare nostri non est instituti, sufficiet si easdem ignorantia & ignavi ingenii terminorum nomine insigniemus. Nec a veritate alienum erit, si frequentissima in methaphysicis, politicis & naturalibus fati, fortunæ & infortunii nomina ad eundem censum referemus. Quemadmodum enim termini & voces nihil aliud sunt quam idearum, cogitationum ac rerum signa, quibus mentis nostræ operationes exprimuntur & cum aliis communicantur, ita certe mera nomina loco modorum vel caussarum qua latent allegare, inane prorsus est & fatuum. Quum itaque apud Philosophos, tam vetustioris quam recentioris ævi, non genuina, una eadem que fati sit explicatio, ratio & applicatio, rem non projectæ operæ esse ducimus, si de subtili pariter ac curioso argumento, FATO nempe PHYSICO ET MEDICO, an illud detur, & a quibus caussis dependeat? per vestigiatius paullo agamus & uberioris edisceramus; quo nostro proposito fine ut eo melius & ex voto potiamur,

A 2

mur,

mur, veterum de fato & fortuna doctrinam qua fieri potest brevitate præmittere, minime alienum erit. Divinum Numen hisce nostris laboribus & meditatio-
nibus uberrima sua gratia benignissime adsit!

§. I.

Nte vero quam ipsam de fato tractatio-
nem aggrediamur, evolvenda nobis in
limine erit vocis fati claritas; ad quam
obtinendam, ejus originem, sive radicem,
& usum, sive significationem notam, tra-
dere oportet. Radix itaque hujus vocis sine omni du-
bio est verbum fari, cuius participium perfectum pas-
sivum, datum, idem est ac dictum, effatum, edictum sive
decretum; usu vero denotat necessitatem immutabilem:
adeoque exin emergit decretum, sive edictum, inevita-
bilis eventuum necessitatis. Indeclinabilis hujus neces-
sitatis caussas ut inquirerent Philosophi strenue utique
allaborarunt, sed dissidentibus plane rationibus id
perfecerunt. Saniores enim illorum, qui Deum
omnium rerum fontem, ejusque fata & decreta immu-
tabilia esse asserebant, causam absolutæ & fatalis neces-
sitatis ad hunc referebant: alii vero a sensu & cultu di-
vino alieni, concatenatam, perpetuam, immo æternam
caussarum in universo seriem, omnium quæ singulis de-
stinate tempore bona vel mala eveniunt originem esse,
asseverabant; alii denique Christiani nempe hos even-
tus non quidem caussis naturalibus earumque serie de-
stitutos esse judicabant, sed Deum naturæ ordinis au-
to-

ctorem sibi reservasse potestatem ut eundem pro beneplacito suo immutare queat, existimabant.

§. II.

Primum itaque meditationem nostram subibunt
ii, qui fortunam, infortunium ipsumque fatum ad Deos referebant. Hos inter maxime eminent idolorum cultores, qui tot sibi fingebant Deos, quot diversæ conditionis bona mortalibus obtingere perspiciebant, illorumque singulis certos ac determinatos boni cuiusdam effectus liberalissime tribuebant. Ita non modo sol cum omnibus planetis, sed etiam ignis, ex animalibus bos, ex volucrī numero ibis, apud Aegyptios in Deorum classem relati fuerunt; quibus in grati animi signum cultum & honores divinos obtulerunt. Maxime vero omnium inter barbararum gentium quamplurimas divinitatis nota inclaruit ipsa fortuna, quæ ad denotandam inconstantiam atque mobilitatem, sub virginis cæcæ rotæ insistentis simulacro, religiose excepta fuit: etenim non solum JUVENALIS Lib. IV.
Sat. 10. disertis pronunciat verbis:

Tē facimus Fortuna Deam cæloque locamus,
sed etiam TACITVS Annal. libr. XV. memorat, Ancum Martium & Servium Tullium Romæ huic Deæ templum dedicasse, Fortunamque auream in interiori principum cubiculo coluisse. Quum itaque Fortunam Deam crederent, eandem immutabilem & fatum inexorabile esse inde deducebant. Legem enim Numinis esse plane immutabilem, & quicquid etiam fausti vel infasti a Fortuna Dea mortalibus decretum sit, nullo modo mutari posse, sed placido potius & æquo animo ferendum esse,

A 3

exi-

existimabant. Ineluctabile hoc fatum graphicè sancè pro more suo describit SENECA, *N. Q. Lib. II. c. 35. fata*, inquit, *jus suum peragunt, nec ulla commoventur prece, nulla misericordia flecluntur, non gratia, servant cursum irrevocabilem, ex destinato fluunt.* Quemadmodum rapidorum aquæ torrentium in se non recurrunt, nec moratur quidem, quia priorem supervenientis præcipitat; sic ordinem sati æterna series rotat, cuius hæc prima lex est: *flare decreto.* Et CICERO de divinat. lib. II. c. 6. eandem in rem scribit: *quid est aliud fors? quid fortuna? quid casus? quid eventus? nisi cum sic aliquid cecidit, sic evenit, ut vel non cadere atque evenire, vel alter cadere atque evenire, potuerit.* His quoque accedere videtur LIPSIUS, dum ep. 43. cent. I. Hec publica, ait, *& æterna lex, cui quisquis repugnat, improbus est & refractorius.* Ut athletis olim fors, non elecio adversarium dabat, cum quo certarent: *sic cuique nostrum vitæ suam conditionem fata cum quibus lucemur.* Hanc vincere oportet, i. e. ferre. Hujus pugnæ robur omne in patiendo est, *& via gloria in cedendo.*

§. III.

Ex inevitabili hac eventuum necessitate, quam veteres fati nomine insigniverunt, Stoici moralis doctrinæ desumserunt fundamenta, quorum cardo in eo potissimum vertitur, ut quisque patienti & æquo animo ferat omnia, que in hominis potestate non sunt, i. e. que mutare non potest, cuius generis sunt publicæ & privatae calamitates, famæ, morbi, mors, inimici, infelix coniugium, inordinatæ temporum constitutiones, bella, servitutes, injuriæ & potentia principum, aliaque id genus plura. Et quemadmodum saniorum hujus sectæ scri-

scripta, SENECAE nempe, EPICTETI & ANTONINI, id satis planum faciunt atque testatum; ita memoratu in primis hoc loco digni sunt SENECAE versus:

*Duc Summe Pater altique dominator poli
 Quocunque placuit, nulla parendi mora est.
 Adsum impiger, fac nolle, comitabor gemens
 Malusque patiar facere quod licuit bono.
 Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.*

Hac vocis fati significatione usus quoque est antiquissimus rerum medicarum scriptor HIPPOCRATES, qui in epistolis p. m. 394. haec habet: *omnibus hominibus amara necessitas incumbit, ut quæ a fato statuta sunt ferant; vi enim exsequitur quæ vult.*

§. IV.

Quod si autem primam, ab omni inde ævo originem fatalis huius eventuum in universo necessitatis, sollicitius paullo inquiramus, vetustissima historiarum monumenta nos edocent, Chaldaeos, Assyrios atque Aegyptios, doctrinæ de fato inventores fuisse & propugnatores. Sicuti enim omnium scientiarum antiquissima est astrologia, quam præter Chaldaeos & Assyrios Aegyptii etiam studiose excoluerunt, maxime post tempora Abrahami, qui teste JOSEPHO *Antiquit. Lib. I.c.* 9. primus ex Chaldais eos astronomiam docuit; ita statim sub ipsis artium & disciplinarum incunabulis, causam omnium, quæcunque hominibus vel fausta vel infausta accidebant, ad æthera & astra relegabant, illudque dicebant fatum. Fingebant nimirum planetas malignos

lignos & benignos, & unicuique horum peculiarem virtutem, influxum & operationem in sublunaria corpora, inque primis in hominis ingenium, inclinations, animum ipsumque corpus assignabat, quæ potissimum eo ipso temporis articulo, quo homo in lucem edetur, sese exfereret. Ex hac origine repetenda sunt deducta ex astris præsagia & thematis genethliaci perseratio, quibus mirifice sese extulerunt Chaldæorum sacerdotes, qui themate posito, & genesi inspecta, quid homini per totum vitæ decursum sit eventurum, prænunciare se posse jactabant, quo factum, ut astrologi audirent fatidici. Invaluit postmodum antiquissima hæc sed falsissima sententia, & omnes propemodum ætatis & sectæ Philosophos in eosdem errorum mures præcipitavit. Ita PLATO, quo majorem ætatem sua non habuit Græcia, in Tim. 1054. nec non eius sectatores PROCLUS, PORPHYRIUS & SYRIUS non solum acerrimi fati fuerunt propugnatores, sed etiam illius sedem in astris esse asseruerunt: immo progressu temporis eo deventum est, ut impune asseverare liceret, vicissitudines rerum in univerlo contingere & fortunam variare, prout astra mutentur & non in eodem loco subsistant. Neutquam vero defuere, qui in primis e Christianorum numero, hanc fatalem eventuum ex astris provenientem necessitatem, magno impugnauit studio; quo nomine laudem merentur DIODORUS Tarsie episcopus & IOANNES cognomine CHRYSOSTHEMUS, quorum prior libros adversus astronomos, astrologos & fatum, posterior quinque homiliae & tres epistolas de fato & providentia divina concinnarunt,

26. 5B

runt, nec non EUSEBIUS & AUGUSTINUS in libro de civitate Dei. Si enim tam stupenda fati in omnibus actionibus humanis & eventibus in universo est potentia, quam astra rebus & animatis & inanimatis insinuant, vanum utique erit & inane omnis moralis philosophia, omnis pietatis & doctrinæ cœlestis studium, & nihil nisi quod omnia quæ accidunt sint indeclinabilia, & proinde patienti animo ferenda, remanebit.

§. V.

Considerato sic fato astrologico, sequitur jam ut Stoicorum, qui præcipui fatalis necessitatis defensores fuerunt, sententiam exutiamus. Ex hisce prodeat primum SENECA qui de benefic. libr. IV. §. 7. de fato tradit, quod nihil aliud sit, quam series implexa caussarum: & ex mente CHRYSIPPI fatum est naturalis quidam ordo & connexio rerum ab æterno, aliis ab aliis consequentibus, sed immutabili manente huius complicatione. Neque minus commemorabile est CICERONIS effatum, cuius AUGUSTINUS de C. D. Libr. V. c. 9. totidem verbis mentionem facit: si præscita sunt omnia futura, hoc ordine venient quo ventura esse præscita sunt. Et si hoc ordine venient, certus est ordo rerum, certus est ordo caussarum. Non enim aliquid fieri poterit, ubi non aliqua efficiens caussa præcesserit. Si autem certus est ordo caussarum, quo fit omne quod fit, fato sunt omnia quæ sunt. Quod si ita est, nihil est in potestate nullumque est arbitrium voluntatis. Nefarium autem in eo passi sunt Stoici lapsum, quod non solum voluntatem humanam, in se liberam, fatali huic alli-

B gave-

gaverint necessitati, (de quo infra latius differemus) sed etiam ipsum Deum, qui fata scripsit, iisdem subi-
cere conati sint, nec quicquam ab ipso in hoc caussa-
rum ordine immutari posse asseveraverint: id quod
quam plurimis eorum confirmari potest testimonius.
Sic enim perhibet SENECA: *ipse ille omnium conditor
ac rector scripsit quidem fata, sed sequitur, semel scripsit,
semper paret.* Et idem auctor in *Q.N.Lib.II,36.* negat,
sapientis viri sententiam posse mutari, quanto magis
Dei; quum sapiens quid sit optimum in praesentia sciat,
divinitati vero omne praesens sit. *Quinimmo Lib. I.
de benefic.* hunc in sensum disputat: non posse Deum e-
fatorum lege quicquam derogare, quia necesse sit ut
eadem illi semper placeant, neque ob hoc inquit, *ille mi-
nus liber & potens est, ipse enim est necessitas sua.* Gravissimum
hunc errorem Stoicos exinde contraxisse judi-
co, tum quod mundum aeternum esse crediderint, tum
etiam quod eius materiam pure passivam, ab univer-
fali quodam movente & principio, quod animam mun-
di dixerunt, moveri, actuari & vivificari debere, ex
mente PLATONIS, (qui teste PORPHYRIO, omni-
bus mundi partibus per partes mundi diffusis, animam
conciliavit), perhibuerint. Licet enim per animam
mundi divinam quandam vim & potentiam denotare
videantur; eandem tamen tam intime immisscent & al-
ligant materiae, ut revera nihil aliud innuant, quam
naturam esse Deum, & Deum naturam, quemadmo-
dum id Sextus Empiricus & Seneca apertissime & ex-
presse profitentur.

§. VI

§. VI.

Ex hisce Stoicorum placitis , nec non doctrina
Cartesii , qui itidem materiam universi mere passivam
esse assertebat , infelicissimo sane fidere prodierunt ne-
fariæ illæ & execrables Spinozæ opiniones . Is eas-
dem cum Stoicis in eo quidem inflavit tibias , quod
omnia quæ fiunt & eveniunt in universo ex certa &
concatenata caussarum & effectuum serie & ordine de-
rivaret , quia vero hanc caussarum seriem actu infinita-
m assertebat , eamque pro una & absolute necessaria
substantia venditabat , cuius partes & modi omnis ge-
neris res in universo sint ; dilucide utique patescit il-
lum universum & ordinem in eo pro ipso Deo habuif-
fe , & cuncta tam præsentia , quam præterita & futura ,
indeclinabili fatalis necessitatis iugo subiecisse . Qua
pervera & vere pestilenti sententia , cum Dei existen-
tia & providentia negatur , tum etiam omnis religio ,
cultus , preces , exhortationes & consilia uno quasi ictu
concidunt penitusque expirant : ut taceamus & mira-
culorum existentiani , & sacrarum litterarum verita-
tem eadem abrogari & tolli . Quum vero profanae hu-
iusmodi opiniones nostro ævo proh dolor adeo inva-
luerint , ut eruditissimorum etiam virorum animis , qui
nonnisi theologiam naturalem & moralem admittunt ,
altius infixa sunt ; nemo utique nobis vitio verteret ,
si nefariam Spinozæ sententiam & reliqua ex Stoico-
rum placitis , quæ veritatem subruere videntur , solidi
argumentorum robore convellere atque destruere co-
naremur : sed quoniam illud a præstantissimis viris
factum esse novimus , in prolatis iam ab ipsis momen-

tis recensendis non erimus longiores, sufficiet si unicūm tantum h. l. adducemus & urgebimus. Nimirum origo abominandi huius erroris in contingentis & necessarii termino inquirenda est; quorum vocabulorum claritas significatio & proprietas proinde erit evolvenda. Necessarium itaque dicimus illud, quod non aliter sese habet, vel habere potest, sive quod immutari plane à nemine potest, cuius oppositum est impossibile, quo spectant omnes veritates geometricæ, arithmeticæ, morales & metaphysicæ ut: totum maius est sua parte, causa prior est effectu &c. Contingens vero illud appellamus, quod aliter se habere & mutationem pati potest; cuius generis sunt omnia quæ a mente, inge-
nio & voluntate libera dependent, res nempe artificiales & alia in potestate hominum sita v.g. mensa rotunda potest etiam esse quadrata, & id genus plura.

§. VII.

Quando itaque oritur quæstio: utrum universum ad entia absolute necessaria, an ad contingentia pertinet? facile constare arbitror, illud ipsum neutiquam ens absolute necessarium, quod a se est & nullam nec causam nec mutationem admittat, esse, sed potius inter contingentia referri debere, eo quod ejus partium structura, ordo & dispositio etiam alio modo possibilis sit. Ex quo hoc universum extra se aliam adhuc habere causam, quare hoc, non alio modo sit constructum conficitur, & divini Numinis existentia adversus Atheos, qui cœlesti doctrinæ præfræcte adversantur, validissime assertur firmissimeque stabilitur. Solus enim Deus est ens illud absolute necessarium, a se existens, liberrimum, infi-

infinita sapientia, potentia & bonitate prædium, cuius nusquam circumscripta actio ex eo clarissime innotescit, quod ex pluribus in intellectu suo possibilibus mundis, præsentem hunc liberrime extra se in conspectum proferre & ad existentiam perducere decreverit. Præclare hanc in rem magnus nostri ævi Theologus CAMPEGIUS VITRINGA in aphorism. doct. Christ. p. 90. scribit: *Voluntas Dei de nulla re statuere potest, nisi que intellectui ejus obversatur ut possibilis & voluntatis imperio subiecta.* Et alibi: *per decretum Dei intelligimus independentem divinæ voluntatis actum, quo res quasdam, quæ intellectui ipsius possibles obversabantur, ad futuram existentiam determinavit.* Infinita hæc Summi Numinis potentia ex immensi huius universi creatione, sive productione extra se reali, qua conspicua facta sunt quæ antea non erant perspicibilia dilucide patefecit: ineffabilis vero sapientia ex admiranda illa partium universi ad certos fines obtinendos ordine, structura & nexu manifesto elucescit: & immensa denique bonitas evidentissime colligitur ex rerum conditarum finibus, dum omnia quæ in iis deprehendimus bona ad earundem perfectionem tendunt & unice collineant. Ex tribus his essentialibus divinis proprietatibus, omnipotentia nempe, sapientia & bonitate, reliqua Dei attributa, ut iustitia, misericordia, providentia, omniscientia, immutabilitas & æterna veritas haud difficile negotio deduci & derivari possunt; quæ utique omnis genuinæ Dei cognitionis omnisque divini cultus ac venerationis inconsueta sunt fundamenta.

§. IX.

Demonstrata hoc modo & stabilita Summi Numinis & existentia & essentia, utique facillimum erit, perditissimum Spinozæ errorem, de fatali necessitate, quam in ipso rerum & caussarum independente, absolute necessario & actu infinito ordine, fundatam esse putavit, deprehendere; ita ut neminem latere possit, ipsum hoc universum pro Deo habuisse. Neque etiam difficile erit Stoicorum de fato errores paullo apertius intueri & pervidere, utpote qui necessitatem eventuum in certo rerum & caussarum ordine ac serie quæsiverunt quidem, sed hunc ipsum cum Deo tanquam eius caussa confuderunt, nec hæc probe discreverunt. Nos autem exquisitiori, meliori & saniori tam divini Numinis cognitione, quam rerum naturalium scientia, instructi, de fato, de caussis eventuum, de necessitate fatali & id genus pluribus terminis, quibus barbari & quamplurimi veterum philosophi usi fuerunt, rectius omnino sentire, eosdemque sine veritatis iniuria rationi congruenter explicare possumus.

§. IX.

His præmissis, ingenue & aperte profitemur, per fatum nihil aliud esse intelligendum: quam necessitatem, aut si mavis, certitudinem quandam eventuum & effectuum, qui fuerunt, sunt & erunt in universo, a certo rerum & caussarum ordine, nexu ac serie dependentem; atque adeo cum in rebus physicis & medicis, tum etiam in moralibus, politicis, quinimmo ipsa in theologia, fatum, sano sensu acceptum, admitti posse, existimamus. Etenim summus ille & aeternus

nus rerum opifex, nihil absolute in hoc universo voluit vel fieri decrevit, sed ut omnia ex sapientissimo, ab ipso tamen libere dependente rerum & causarum ordine, serie ac nexu, eveniant, constituit, hanc potissimum ob causam, ut cum immensa sua potentia, infinita simul sapientia, in regendis ab ipso conditis, eluceret. Quare vulgo quidem, sed recte dicitur, voluntatem Dei in gubernandis rebus universi non absolutam esse, sed ordinatam, quum certe nihil in hoc universo efficiatur & producatur, sine præcedentibus causis efficientibus, nec ulla rerum mutatio concipi possit sine causa quæ hanc rebus infert, & omnis effectus secundum canonem metaphysicum necessitatibus a sua causa, immo proportionatus sit eiusdem viribus; hinc qualis effectus, talis causa, & vice versa. Ex quo apparet, effectus, ex causarum suarum potentia & viribus, non modo certos, sed & necessarios esse; necessitate quidem, ut nemo non intelliget, non absoluta, sed sic dicta hypothetica, sive ad conditionem causæ relata;

§. X.

Quum vero causa necessariorum effectuum productrices, non sint unius eiusdemque sed diversæ naturæ ac virtutis, utique secundum illarum diversitatem & conditionem, hi quoque considerandi erunt & aestimandi. Nimurum obvius est in hoc universo ordo quidam causarum libere agentium, cum inde profluentibus eventibus atque effectibus; occurrit vero etiam eiusmodi nexus causarum, quæ in se non aliter, quam quidem operantur, agere possunt, sed ex necessitate quadam insita, a Deo tamen dependente, suos edunt

edunt effectus. Hunc censum subeunt res naturales sive corporeæ, quarum essentia in vi & potentia motrice, nitente & renitente, in spatiū diffusa consistit, & qua constantes semper effectus, secundum certum & sapientissimum ordinem, a summo rerum opifice constitutum, quem recentiores motuum leges appellant, proferunt. Antiquiores hunc caussarum ordinem naturam salutarunt, quam PLATO per artem Dei in materia definiebat, & ab eadem, tanquam primo principio, omnes effectus in macrocosmo non minus, quam in microcosmo derivarunt; naturalis vero & experimentalis philosophiae nostro hoc ævo quamplurimi instauratores, eundem mechanismi nomine insigniunt, quem, uti in arte factis & automatis, ita etiam in naturalibus, nonnisi in certa determinatione motuum, a sapienti rerum corporearum ratione magnitudinis, figuræ, situs & connexionis variarum dispositione, structura & coordinatione consistere demonstrant.

§. XI.

Proinde quum in universo sapientissime institutus rerum corporearum, activa vi motrice instructarum, ordo observetur & nexus; minime addubitare licet, certos, immo necessarios, inde promanare effectus, quorum necessitatem, si quis cum Aristotele fatum physicum dicere velit, is certe non errabit. Neque vero tantum philosophi, sed etiam theologorum perspicaciores, eiusmodi nexus & caussarum naturalium ordinem in universo agnoverunt, quos inter primoloco commemorandus supra laudatus VITRINGA qui

26. 15

qui l.c. hæc prodidit: per mundum intelligimus complexum omnium corporum, elegantissimo construclum ordine, & secundum leges æqualiter motum. Necnon pag. 94. Est sapientia divina plane admiranda, quod circa tot & tam varias, easque diversi generis, & contrarias sœpe, naturæ & ingenii res, suo sic sit versatus decreto, ut vastum hoc opus Dei, quale est huius mundi compages, omnibus suis paribus perfectum prodiderit, elegantissimo construclum ordine, & in omni suo motu secundum accuratissimas & optimas leges compositum. Acutissimo huic viro magni itidem nominis Theologus GVRTLERVS in Institut. theol. p. 381. assurgit: *omnes*, inquiens, *Dei actiones sunt in mundo pulcro ordine, statuo tempore & tendunt ad finem præsum.* Sed testimonium omni exceptione maius ipse LIBER SAPIENTIÆ perhibet, quo adstruitur, *Deum omnia secundum numerum, pondus & mensuram, i.e. secundum causas & leges mechanicas, dispositissimum.* Quod si vero quisquam luculentissimum & evidentissimum sapientissimæ in rerum natura constitutum mechanics exemplum exposceret, constantissimus ille siderum cursus & motus, cuius varia phænomena, calculo subducto, vel in mille annos prædicti possunt, ipsi abunde satisfaciet; quo etiam Regius PSALTES permotus, Ps. CXLIX, ii. *Deum stellas conservare, & ita ordinare, ut non aliter ire possint,* afferit.

§. XII.

Vastissima hæc solis, lunæ & reliquorum planetarum corpora, a nostro quem incolimus globo per quam quidem remota sunt; nihilominus tamen iisdem nexum quendam cum hoc intercedere, non est

C

quod

quod dubitemus: quum influxus eorum sive operatio in sublunaria illud ipsum luculentissime testetur. Neminem enim latet fulgentissimum non solum & suspendae operationis solarem globum, calido suo & lucido motu universo hominum, animantium & vegetabilium generi, vigorem, vitam, motum, calorem, nutritionem & fecunditatem largiri, eoque remoto marcescere quasi omnia atque emori: sed lunare etiam fidus pro vario ad tellurem positu, in fluxu & refluxu maris, in tempestatum ac ventorum suscitatione, in decremente vel augmentatione vegetantium, haud exiguae efficere mutationes. Quid æquinoctia, quid solstitia in alterandis humanis valeant corporibus, iis potissimum qui in artis medicæ exercitio versantur, innotescit, apud quos quotidiane propemodum experientia est, quod capitis & nervorum affectiones, ut plurimum his temporum articulis exacerbentur, contumaces vero & chronicæ febres mitigentur vel plane desinant. Præterea atroces istæ quæ mortales nonnunquam affligunt calamitates, fames nempe, pestis & gravissimi alii epidemici hominibus vel brutis infestis morbi, itidem sine omni dubio a vario siderum cursu, situ & influxu, nec non a globi nostri terraquei motu ac diversissimæ indolis & virtutis effluviis derivandi sunt. Inde enim anni tempora præter naturalem sortiuntur statum, inde ventorum, qui ingentem atmosphære inferunt turbationem, ex variis plagis refuscatur fatus, a quibus postea acerrimum & diuturnum frigus, intensissimus æstus, continua imbrium copia, fecundæ multorum malorum matres, originem nan-

ciscun-

ciscuntur. Ex his itaque cuivis abunde constare arbitror, dari admirandam quandam inter sidera & globum terraqueum eiusque inquilinos connexionem, & ex hac mirificos & incredibiles fere, necessario provenire effectus, quos veteres huius rerum ordinis minus gnari fatali necessitati tribuere non veriti sunt.

§. XIII.

Sicut vero nullus effectus nec eventus in tota rerum natura sine certo rerum nexu, caussarum ordine & motuum inter se communicatione ac propagatione contingit; ita certissimæ indubie veritatis est, tum macrocosmo, tum etiam microcosmo omnibusque corporibus organicis, primum quoddam & principale inesse movens, quod omnia quasi actuet, regat & gubernet. Proinde uti fulgentissimum solis sidus in mundi machina, ceu suprema rota, omnes planetarum huius globi vortices movet ac circumrotat, & vivido suo igne ac calore cunctis motum, vitam & vigorem inspirat: ita microcosmicum illud vitale cordis viscus, perpetuo illo quem exercet contractionis & dilatationis motu, universam fluidorum & sanguinis massam iugiter circumagit corporisque partibus nutritionem, vigorem ac robur infundit. Nam res certe consideratione digna, quin penitus admiranda est, humani, immo omnium animantium corporum compaginem, ex materia, in foetidissimam putredinem quam maxime prona, coagmentatam, solo cordis motu, & ab illo pendente sanguinis in circulum abeunte progressu, a praesentanea hac vindicari corruptione, quæ penitus eodem extincto, presso protinus subsequitur pe-

de. Hæc perennis cordis concusso omnibus quoque universi corporis functionibus præest, nec sine ea anima in sensuum & mouuum voluntariorum exercitio suas operationes exserere, neque ulla corporis pars officio suo perfungi valet: quare quiete in syncope ad tempus cordis & arteriarum motu, omnis & cogitatio, & sensus, & ratio perit, refocillato autem eodem, e vestigio redit. His accedit, quod prodiens hic e cordis machina motus saluberrimum secretionum & excretionum negotium, quo arcentur insalubria, eliminantur noxia & corpus a morbis validissime defenditur, sustinet, adeoque veterum naturam medicatricem constitutat, qua sponte sine Medici ope graves ægritudines sanescunt.

§. XIV.

Hæc hæc tenus eo animo atque consilio fusiis paullo prolata sunt, ut non solum eo clarius pateret quomodo series, nexus & ordo causarum ac rerum, quem fatum veterum Philosophi appellarunt, distinete concipi & rationali modo explicari possit; sed etiam ut nobis viam panderemus, cui insistentes, de nonnullis rerum naturalium non adeo obviis effectibus, claras atque perspicuas causas reddere queamus. Quum itaque nihil familiarius tam vulgi, quam etiam quorundam eruditorum sermone usurpetur, quam fatalem moriendi necessitatem hominibus & animalibus incumbere, ex summi Numinis decreto iis post lapsum impositam; primum meditationis nostræ argumentum erit id, de quo omnes fere Philosophorum & Medicorum libri silent, videlicet ut dispiciamus in quo

quo huius divini decreti & inevitabilis moriendi necessitatis ratio sit posita. Huius genuinam causam iam in Medicinæ rationalis systematicæ Tomo II. pag. 54. sq. dilucide primus fere tradere allaboravi, eamque non tam in fluidarum quam solidarum machinæ nostræ partium, fibrarum nempe & membranarum cum ætate crescente crassitie, durius & compactiore textura, inquirendam esse ratus sum; quum licet homo temperatissime ad exquisitissimæ diætæ regulas & præscriptum vita rationem instituat & ab omni animi commotione sibi per quam solicite caveat, mortem tamen subire debeat. Quemadmodum enim indubia experientia constat, cartilaginiæ progressu temporis transfire in ossa, hæc procedente ætate maiorem induere duritatem omniumque annosiorum animantium carnes solidiores esse quam iuniorum, & proinde diuturniori egere coctione; ita exinde facile apparet, minima vasâ, quo crassiores & compactiores eorum evadunt tuniceæ, eo angustiora reddi & magis occludi, ita ut tandem penitus coalescant & nihil amplius fluidi transmittant. Jam vero ad annum revocandum firmiterque tenendum est, vitalem corruptibilis nostri corporis durationem, non solum perenni & iugi sanguinis ac benignorum humorum ad minima partium affluxu obtineri, sed etiam inutilium atque impurorum per varii generis, ex minimis & capillaribus tubulis conflata emunctoria, excretione sustentari: proinde si in extrema senectute cerebri, medullæ spinalis & nervorum canales minimi, quos tenuissimum & summe mobile parti-

C 3

bus

bus vires & robur addens fluidum perluit, solidescunt, virium languor, corporis debilitas & caloris nativi defectus, familiaria senibus mala, ingruunt ; si vero tubulosa corporis excernicula præsertim in hepatis visceri, nec non in vasculoſo & poroſo corporis cortice, cute nempe, coarctari & obturari incipiunt, impuriores, ſalinæ, limosæ & ſulphureæ fordes remanent & delibatissimi vitales ſucci, qui nutritioni ſerviunt ac vires reficiunt collutulantur & inficiuntur : hiuc corpus tabescit, partes emarcescunt & varii generis mala, ex impuritate humorum oriunda, infestant, donec ſenſim ſenſimque ad ipsam mortem aditus paretur. Quæ quum ita ſint, ad producendam vitam vix alia ſuppetit ratio & via, quam ſi optabile eiusmodi excoigitaretur remedium, cuius ope fibrarum mollities & tubulorum ac meatuum, ex quibus tota ferme corporis noſtra compages coagmentata eſt, alveoli aperti ſervarentur ; quod tamen ſub præſenti elementorum & alimentorum intemperie ac insalubri conſtitutione, ne quidem ſperandum eſt.

§. XV.

Eandem conſiderationem meretur vitæ humanae conſtitutus terminus, quem quod alii tardius, alii ci-tius, nonnulli morbis afflitti, quidam non ita, attin-gant, ex quamplurimorum ſententia ad fatum eiusque indeclinabilem neceſſitatem refertur, quum tamen veræ & physice huius effectus ſubſint cauſæ. Ete-nim ſciendum eſt, longam & a crebris morborum inſultibus liberam vitam a duabus potiſſimum cauſis proſifici, quarum altera apta vaſorum & fibrarum ad

ad solidorum & fluidorum motum dispositione ac stru-
ctura continetur, altera vero in viētus inquirenda est
ratione. Prior maxime nativa est, a virtute paren-
tum seminali acquisita, & consistit in eo, ut non sol-
lum sistema fibrarum nec nimis tenerum, nec nimis
crassum ac tensum, sed etiam ut vasa non nimis exi-
lia & angusta, sed magis patula atque aperta sint: at-
tentia enim observatione compertum est, corpora
spongiosa, valde exilibus & copiosis vasis dotata, plu-
rimis morbis subiecta & brevioris vitæ esse, contra ve-
ro ea quæ canalibus amplioribus & fibris tensis ac
paullo firmioribus prædicta sunt, non ex facili in mor-
bos incidere, facilius sanescere & longiore vivere vi-
tam. His accedit, qnod indubia experientia suffra-
gio constet, parentes in vigore ætatis constitutos, sa-
nos, robustos & pacato animo præditos, firmioris na-
turæ liberos progignere; seniores vero, imbecilliores,
& qui intemperantius vivunt generare & animo & cor-
pore debiliores, in morbos proclives & minus viva-
ces infantes. Posteriorem longioris vel brevioris vi-
ta, nec non firmioris aut adversæ valetudinis ratio-
nem, viētus & rerum sic dictarum non naturalium
usus subministrat. *Aer enim & viētus est ut præclare*
tradit HIPPOCRATES de flatibus, quo vivimus,
quo vita & sanitas conservatur, & quo etiam agrotamus ac
morimur. Hinc a longo iam tempore observatum est,
eos qui ad centum & ultra annos sani ætatem extende-
runt, non tantum a parentibus integræ valetudinis &
longævis genitos, sed etiam simplici viētu & ære pu-
ro usos fuisse, animum tranquillum gessisse & debito
labo-

labore ac motu corpus exerceuisse; illos autem qui otiosam & somnolentam transfegeunt vitam, cœlo non adeo benigno fructi sunt, ac ignorantia aut prava consuetudine ducti ordinis ad vitam & sanitatem tuerendam parum curiosi fuerunt, plurimis patuisse morbis, nec diu vitam protractisse. Haec sunt præcipuae longævitatis, præmaturæ mortis, morborum & fanaticæ physicae & naturales causæ; quas quum non eum attulerimus in finem ut sententiae quam venerandi Theologi de termino vitaæ a summo Numine constituto, & proinde a nemine superando, fovent, obliteremur: id tamen nobis affirmare integrum erit, nihil Deum circa hominis, temporalem pariter ac æternam salutem, sine sapiente causarum efficientium ordine, cuius ipse auctor est, & eius ab homine libero observatione, statuisse vel decrevisse.

§. XVI.

Accedimus iam ad considerationem annorum qui decretorii, malefici & ad vitam succidendam pollentes putantur & proinde climaæterici dicuntur. In his omnis vetustas maiorem quandam vim inesse credidit, eamque partim ex Pythagoræorum mente in occulta numeri septenarii efficacia inquisivit, partim etiam exemplo Asyriorum a stellarum fato deduxit. Ut autem horum annorum efficacia ad morbos producendos & ingentem corporibus humanis induendam mutationem non penitus neganda sit; id tamen etiam in confessio est, communem hanc assertiōnem iustis non subnixam rationibus saniori egere explicatione. Nimirum summum Numen non solum mundani huius operis, sed maxime etiam corporis huma-

humani naturam , mirabili artificio coagmentavit, ac singula suis numeris , mensura, pondere, ordine & harmonia vinxit ac colligavit, ut certo gradu, certo tempore, ad certum finem , in tota rerum corporearum œconomia operationes perficerentur. Proinde quemadmodum corporis nostri compages certum requirit tempus ut formetur, ut ad exitum ex utero disponatur & ad perfectionem perducatur ; ita etiam eiusdem in interitum mutatio certo temporis indiget intervallo. Quum enim nulla in rebus corporeis mutatio sine motu & certa motuum quantitate fiat & absolvatur ; tempus vero nonnisi mensura & duratio motuum sit : facile sane patescit , notabiles mutationes certis sese exserere temporibus , non quod tempora & anni id efficiant , sed quia ad effectum certi & determinati motus desiderantur , qui tempus constituant. Inprimis autem constantis observationis est, ita machinam nostram eiusque partes esse constructas, ut septenarius numerus iis sit veluti crismus , cum quo notabilem semper & illustrem , nonnunquam cum sanitatis periculo iunctam mutationem subeant: sic ter septima hebdomade foetus sese movet in utero, sexies septima paratus est ad exitum, septimo mense infans dentire incipit, septimo ætatis anno infantia clauditur & dentes decidunt , decimoquarto menstrua puellis veniunt , semenque in virilibus testibus generari incipit , vigesimo primo debitam corpus nanciscitur staturam & reliqui anni tantum ad robur eiusdem acquirendum & animi perfectionem impletandam inserviunt, donec converso itinere iterum ad

D

de-

decrementum ruat & septimo septenario mensium fluxus cum generandi potentia cesset, nono vero senectus incipiat, vires notabiliter labascant, corpus contabescat, memoria debilitetur, sensuum vigor pereat, ad capitales chronicos morbos ex viscerum obstructione oriundos dispositio fiat, & hac denique sensim incrementa capiente, ipsa mors ingruat. Quapropter quum decretorii hi per septem consurgentis temporum articuli vitam humanam quasi per gradus agant: neutquam dubitandum est, contingere sub iisdem in partium solidarum structura, fluidorum motu omnibusque corporis nostri functionibus notabilem mutationem; licet eadem in quibusdam nonnunquam praecedente, nonnunquam in sequente anno eveniat. Accedit, quod firma experientia constet, climaetericas has aetatis nostre periodos interdum vitae fatales esse, nec sine grandi periculo decurrere. Videlicet infantes septimus mensis in haud leve discrimen adducit ob dentium eruptionem, que eos non solum gravissimis doloribus excruciare, sed etiam ita interdum affigere solet, ut pereant; id quod etiam de decimo quarto tenendum, quo prorumpentes canini, longiores & acutiores dentes lethalia non raro concitant symptomata; quinimum dimidio primi septenarii, intra tertium nempe & quartum annum, molares si exitum affectant, lentis sepius febris tabescunt. Septimo anno non solum ob carnis gingivalis laxitatem os foetet, dentes nigri & cariosi evadunt ac tandem excidunt, sed etiam lembri ci circa hoc tempus uberioris gignuntur & gravius corpus infestant: decidimus

mus vero quartus scemino sexui maxime est infestus, quo mensibus erumpentibus lividi coloris fuit, lasitudo cum lento calore corpus occupat & ciborum exoritur fastidium. Præterea uti anni vigesimus primus ad trigesimum quintum iuvenibus multum periculi important ex hæmoptysi & phthisi; ita quadragesimus nonus tantam foeminarum corporibus inducit mutationem, ut plerunque mensium fluxus penitus subsistat & inde varia hysterica pathemata cum cachexia oboviantur. Aetate ingravescente, sexagesimo tertio nempe anno, sanguinis progressus per viscera abdominis tardus fit & segnis, eaque propter in sanguineis & sensibilioribus metus est apoplexiæ vel asthmatis convulsivi, in aliis cachexiæ, calculi renum, podagre & colicæ spasmaticaæ, quæ sexagesimo nono ætatis anno quamplurimos necant. Decrepita ætas mala maxime patitur circa vesicam, dum stranguria, urinæ stolidum, mihius cruentus, vesicæ calculus & exultatio vires atterit & valde consumit, quibus accedit facillima hisce annis ad sphacelum tam internarum quam externarum partium dispositio, quam subita tandem mors excipit.

§. XVII.

Eiusdem momenti quoque est illa de diebus criticis sive decretoriis medico-practica in morbis acutis observatio, eo quod iidem mutationem quandam in peius aut melius afferunt, & pari ratione septenario numero continentur, nisi quod nonæ etiam quamplurimum deferatur. Proinde mirabilium illorum effectuum rationem nonnisi in certo & determinato mo-

tuum numero , qui tempus constituit, inquirendum esse censeo; quum utique in confessio sit, certum cordis & arteriarum pulsuum desiderari numerum, ut causæ quæ morbum facit malignitas attemperetur & ad excretionem præparetur , vel alia stasis concipiens materia discutiatur ac resolvatur.

§. XIX.

Notissimum porro est quosdam morbos ut infiam , apoplexiā , epilepsiam , podagram , phthisin , hydropeim , renū & vesica calculum , malum hypochondriacum , motus convulsivos spasmoidicos , hæmorrhoidales motus , nonnullis familiis solennes , familiares & quasi fatales esse , quorum ratio plerumque quidem ex dispositione hereditaria arcessitur , sed in quonam hæc ipsa cofistat id sane quamplurimos latet. Nolumus autem hic ideales animæ formaticis vires , tanquam caussam admodum remotam adducere , sed sufficere poterit , si indicaverimus , ægritudines , quæ a parentibus in liberos transferuntur , in vitiata partium solidarum structura , quæ congruis & vitalibus motibus producendis ac continuandis minime idonea sit , fundatas esse & radicatas. Læsa enim huius vel illius visceris structura , ita ut vel nimia vasorum angustia fibrarumque laxitate , vel earundem nimia strictura & tensitate delinquit , certis ætatibus , quarum quævis ad morbos certos inclinat , per quam facile stases & stagnationes , graviorum morborum fœcundæ productrices , exoriuntur.

§. XIX.

Hactenus in hoc fuimus occupati ut monstrare-

mus

mus complures insolitos & mirabiles in natura effectus, fati vocabulo tanquam caussæ inaniter & pæne superstitiose tribui, quorum genuinæ, adæquatae & efficientes caussæ indagari tamen possent & suppeditari: quum vero ad certum producendum effectum non una tantum & proxima caussa, solertia rerum physicarum scrutatori consideranda, sed ulterius progrediendum sit & inquirendum, unde hæc oriatur, quæ huius caussæ caussa, quænam huic originem præbeat adeoque gradatim quasi a caussa ad caussam ascendendum; rectius utique sensisse videntur cum Aristotele Stoici, qui fatum per seriem & nexus caussarum definiverunt, licet in eo acquieverint, neque ullius naturalis effectus nexus & catenam caussarum indagarint & exposuerint, & proinde ipsa hæc fati definitio nil nisi petitionem principii sapiat. Quod si enim quæstio incidat: a quibus caussis hic vel ille in rerum natura effectus dependeat? reponunt a fato; si ulterius quæsiveris: quid sit fatum? respondebunt: concatenatam caussarum seriem, idem per idem hac ratione explicantes, haud secus ac Medicorum dialectici & metaphysici, qui, si quando interrogantur: quænam sit caussa mirabilium motuum & functionum corporis nostri? dicunt: esse naturam; cuius si postulatur definitio, hanc tradunt: quod sit principium motus & quietis, & nil nisi verba loco rerum & caussarum magno apparatu obtrudunt.

§. XX.

Quam itaque ut superius iam iam monuimus, nullus qui in rebus physicis observatur effectus sine

proportionato caussarum nexus perficiatur & absolvatur , eo quod omnia in univerlo corpora non secus ac in horologio partes connexa sint ; e re utique erit & nostro instituto quam maxime accommodatum, ut dilucide tradamus hanc caussarum seriem , eandemque ut a quovis intelligi & concipi possit planius exponamus . Res vero tota clarius & illustrior dato apparet exemplo , quod ex pathologicis desumemus . In febre biliosa ardente adeo intenissimus , corpus & vires consumens calor , fitis inexhausta , anxietas , ingrietudo , agrypnia & mentis error , cum alvo constricta ac tensa & urina rubicunda & crassa . Quod siigitur præternaturalis huius status & gravissimæ lesionis functionum caussam quis scrutari velit , vix aliam quæ proxime hæc synptomata producat , subesse deprehendet , quam circularem sanguinis & humorum motum intensiore redditum & velociorem . Hoc enim præter modum aucto , non solum partes sulphureæ saepius ac vehementius alliduntur & atteruntur ut ingens exoriatur calor , qui humidum elementum , quo nutritio & robur sustinetur , consumit , & texturam partium sanguinis dissolvens , vires deiicit , sed etiam phantasia ob citatiorem per cerebri vasa transitum , turbatur & agrypnia producitur . Si ulterius quæstio movetur : unde velocior hic progressus ortum ducat ? respondendum est : id fieri a celeriori arteriarum pulsu & vehementiori cordis motu ; cuius causam si quis etiam exposcat , certe non alia sugerenda erit , quam spastica quædam contractio universi fibrosi & vasculosi machinæ nostræ systematis , quæ sub ini-

initium febris per horripilationem & rigorem, cutim
aridam & contractam alvumque tensam fese exferens,
cor cum arteriis validius constringit & fortiorum ac
celeriorem sanguinis per angustiora vasa magis attri-
tivum & calidum concitat motum. At si in huius
causae scrutinio quis non subsistere velit, & spasticæ
stricturæ scaturiginem percontetur, tunc certe ad mo-
tus & sensus in corpore fontem est ablegandus, cere-
brum nempe & spinalem medullam unacum membra-
naceis suis involucris, quibus præter naturam affe-
ctis & idemtidem vehementius constrictis, tenuissimi
in celerrimo motu existentis fluidi, quo motum,
sensum, robur & tonum fieri patet, in omnes partes
fit effusio. Ex hoc alia emergit quæstio: unde in ner-
vosis partibus oriatur strictura? sic diluenda: bilem
nempe acriorem corruptam primis in viis stagnantem,
ad massam sanguinis nec non cerebri ac spinalis medulla
membranas delatam, morbosam hanc suscitare com-
motionem; quæ peccans biliosa materia quum causa
quoque non careat, accusanda utique erit tum trans-
spiratio læsa & alvus clausa, tum ingesta incongrua
esculenta & potulenta, præsertim si cum iis ær corro-
fivæ indolis simul deglutiatur. Porro sufflaminatæ per-
spirationis causa a valde frigido & humido ære dedu-
cenda, hic vero a ventorum borealium flatu, quorum
magna vis est transpirationem cohibendi, præsertim
tempore æstivo sole occiduo. Neque ventorum flatus
sua destitutus est origine, cuius si iterum innotuerit
causa, aliam procul dubio habebit productricem.
Manifesto sane hoc exemplo convincimur certum
quen-

quendam & insolitum effectum, non ab una, sed innumerabili fere caussarum serie dependere, ita prorsus ut prior agens necessarium suum producat effectum, qui quum non nisi certi motus species sit, rursus agit & fit caussa alterius effectus, hic iterum vicem caussæ sustinens, novi effectus origo est & ita porro, quæ tamen indefinita caussarum atque effectum series leo usque tantum progreditur, donec ad unum & per se necessarium ac independens principium perveniamus.

§. XXI.

Egimus haec tenus de eventibus in universo naturalibus, qui ex immutabili necessitate, a caussis physico-mechanicis, corporum nempe mole, figura, situ & motu dependent, quæ ex necessitate quadam insita non aliter quam quidem operantur agere possunt, & a veteribus ad fatum relati sunt: etenim si Stoicorum saniorum scripta perlustramus, advertimus, illos physicos effectus qui a rerum corporearum natura & motu pendent & immutabiles sunt *κατ' εξοχήν* ad fatum revo casse, sive fati nomine insignivisse, notante id maxime A. GELLIO in noct. Attic. Lib. XIII. cap. I. reliquos vero malos vel fortunatos eventus, ad quos liberum hominis arbitrium concurrit, contingentes & fortuitos vocasse, illosque fortunæ vel secundæ vel adversæ, quam ceu idolum venerati sunt, imputasse, quos hinc præter naturam & fatum contingere ipse CICERO memorat in primo Antonianarum. Iam itaque de eiusmodi malis sermonem instituemus, ad quorum proventum hominis voluntas potissimum confert momentum, & proinde haud immerito ad fa-

fatum physico-morale, si ita loqui licet, vel rectius ad seriem caussarum physicarum cum moralibus coniunctarum referuntur. Nimirum si quisquam sibi ipsi vel alteri violentas manus inferens, mortiferum vulnus infligat, & cordis ventriculos ac vasa sanguifera ampliora perfodiat, aut fundamentum nervorum in medulla oblongata & spinali graviter lœdat; tunc utique fatalis & absolutæ necessitatis mors subsequitur, quæ non ingenitum caussarum physicarum exposcit seriem, sed in depravata & ad malam actionem determinata hominis voluntate fundamentum suum habet. Pari ratione si **v**enenum corrosivum sufficiente mole propinatur, enormes ac plane horribiles spasmi oboriuntur, qui in nervosa ventriculi & intestinorum membranacea substantia initium sumentes & universum partium nervosarum systema sensim occupantes, totam motuum vitalium œconomiam subvertunt, & nisi cito præsentaneum offeratur antidotum, destruunt penitusque extingunt. Præterea quot mala & ægritudines homines partim ignorantia, partim voluptatum illecebris ducti, per incongruum virtutum regimen & rerum minus salubrium usum sibi contrahunt? Vehementes animi commotiones, si recte calculum exigimus, quartam mortalium partem abripiunt iisque fatalem horam accersunt. Denique turpe quidem dictu, sed verissimum est, Medicos, non quidem re sed nomine tales, idiotas nempe, inter fatales mortis caussas esse recentados, quum haud e longinquuo conquirenda sint exempla, quæ abunde fidem faciant, multos sane ex imperitia eorum qui vitae & sanitatis custodes esse volunt,

lunt, ante præstitutum tempus fato cedere, qui tamen peritioribus inter initia morbi in consilium adhibitis, servari & ad sanitatem reduci potuissent.

§. XXII,

Quum itaque ex his quæ adduximus Iuculenter non possit non constare, ad hæc physico-moralia, sive mixta fata, plurimum utique hominis conferre voluntatem principemque corundem esse caussam ; pretium certe erit operæ, ut per vestigatiū paullo inquiremus, quomodo hæc ipsa ad fatales & immutabiles rerum humanarum eventus concurrat, quo exinde elucidari innoteat fati pure physici & physico-moralis respectu ordinis caussarum differentia. Videlicet omnes physicæ sive corporeæ caussæ ex necessitate quadam operantur, neque aliter quam insita iis vis motrix vel natura fert, agere possunt, sed edunt effectus viribus caussæ proportionatos ; longe alia vero substantiarum incorporearum, spirituum & mentis humanæ est ratio, quippe quæ non ex necessitate intrinseca operantur, neque ab ulla caussâ externa ad operandum coguntur sive necessitantur, sed immediate ex se & libera sua natura agunt, ipsisque agere & non agere, vel hoc vel alio modo actiones exercere, concessum est in qualibet omnino mentis humanæ perfectio, nobilitas & præstantia præ rebus corporeis consistit, adeo ut hæc libertas sit qnasidomina, ratio vero & intellectus tantum ministri & consiliarii vices sustineant. Ut ut vero mens in se & sua natura ens liberum sit ; attamen si se constanter ad actionem quandam determinat, tunc utique caussa fit certi cuiusdam, immo respectu virtutis activæ quæ in caussâ continetur, nec-

cessarii effectus: neque ob id libertatem suam amittit, sed eandem tam ante quam post operationem retinet. Hinc récte non solum moralis philosophiæ doctores hanc inculcare solent regulam: quod prius erat voluntatis & libertatis id ex post facto fit necessitatis; sed etiam omnia ea, quæ a mente humana eiusque libero arbitrio facta, sive bona, sive mala proveniunt, homini, in cuius potestate hæc vel illa actio posita erat, imputantur, & bene acta premiis compensantur, male vero acta poenis coercentur.

§. XXIII.

Ex hoc ardua iam emergit quæstio: unde voluntas humana in se indifferens & libera determinacionem & impulsum ad agendum accipiat? cui ut satisfaciamus hanc nostram promimus sententiam, asserentes: nec liberas hominum actiones ordine morali, quem nos moralissimum, ad differentiam mechanismi in rebus corporeis, appellare solemus, a quo pendent, esse destitutas, qui tamen non in caussis efficientibus, cogentibus & necessitatem imponentibus, sed potius in suadentibus, impulsivis & flectentibus sive motivis consistit. Argumenta vero sive motiva quæ ad voluntatis determinationem ut caussa evadat, faciunt, duplicitis sunt generis: nimurum vel ex motu liquidi nervi & obiectis sensualibus, adeoque phantasie fonte, proveniunt, vel etiam ex sana & multis doctrinarum veritatibus instructa, aut virtute verbi divini collustrata ratione proficiuntur. Illa tantum vitiosis cupiditatibus voluntatem incidunt & ad voluptates inclinant; hæc vero eandem ad verum bonum amplectendum disponunt, & hunc censem subeunt proprie-

E 2 libe-

liberationes, meditationes, promissiones divinæ, sapientum consilia, monita & dehortationes, quibus verum & reale bonum demonstratur & ad imitationem proponitur, quo omnia & christianaæ doctrinæ & philosophiæ moralis præcepta collineant. Proinde in libera voluntatis potestate repositum est, utrum phantasie, quæ plurimorum vitiorum & malorum genetrix est, illecebris, an sanæ & rectæ rationis dictamini, quo virtutis moralis natura continetur, obtemperare velit.

§. XXIV.

Ex dictis itaque & adductis perquam clare constare arbitror, insignem inter fatum mere physicum & physico-morale intercedere differentiam: quum in illo innumerabilis propemodum causarum ordo apprehendatur, quarum operatio in potestate hominis sita non sit, ut eandem mutare vel impedire poscit; hoc vero proxime quidem a causa physica dependeat, ita tamen ut eadem ab operatione entis liberi, a quo non ulterior fieri possit progressio, & cui libera concessa sit potestas in hunc vel illum effectum influere vel non, proveniat. Sed quid dicendum videtur de eorum dogmatibus, qui voluntati humanæ, in se liberae, facultatem & influxum in res corporeas ipsumque hominis corpus penitus adinunt; eo quod mentis seu spiritus in corpora actio ratione nec concipi possit nec intelligi. Ingeniose itaque commentantur divinum & præpotens Numen voluntatis humanæ actus ab æterno prævidisse, & ineffabili prorsus sapientia non solum causarum naturalium in universo ordinem, sed etiam corporis humani mechanismum, sive motuum

26.17

tuum in eo oeconomicam , ita instruxisse , certamque harmoniam inter actus voluntatis & motus membrorum præstabilivisse , ut artuum motiones ad finem quem voluntas intendit accommodatae , iusto loco & debito tempore preveniant , quæ , etiamsi nullum mentis adesse arbitrium , eodem tamen ordine , loco , tempore eademque serie essent eventuræ . At vero pa- * ce illuſtris Autoris & eorum qui preſſe eius vestigia * legunt , veritatis amore , non affectu quodam ductus , * ingenue profiteor , hanc præstabilitam harmoniam * eodem , si non meliori iure quam fatum , terminorum * ignorantiae catalogo esse inferendam , & tantum abesse , * ut supposita hac harmonia , commercium animæ cum * corpore explanate tradatur , ut potius eadem huius ne- * xus ignorantia revera nonnisi ingenioſe tegatur & spe- * cioſe incrufetur . Quum enim termini ignorantiae , * nostra quidem ſuperius proposita ſententia , nihil aliud ſint quam ſpecioſa nomina , quæ loco rerum & cauſſa- rum efficientium allata , nullum realem & poſſibilem cauſalem conceptum involvunt , ſed idem per idem explicant ; id autem in quæſtionem veniat : quomo- do ad nutum voluntatis hi vel illi artus moveantur ? five , quod idem eſt , quare motus membrorum vo- luntatis actibus repondeant ? facile ſane pateſcit , idem per idem resolvi , ſi quis responderit , cauſam huius conſenſus eſſe harmoniam , inter motiones artuum & voluntatis actuum ab æterno præstabilitam . Præterea no- tissimum eſt motus qui in manibus , pedibus aliisque corporis nostri membris contingunt , ab influxu liquidi nervi in musculosam eorundem ſubtantiam potiſſi-

mum dependere, & tenuissimum hoc cerebri ac nervorum fluidum a sanguine, hunc vero ab ære & ingestis suam mutuari originem; quod si itaque hoc fluidum ad mentis arbitrium linguam, hunc vel illum digitum, ut motum iis largiatur ingredi debet, cur ad has nec alias partes tendat, quædam utique suberit caussa, quæ tamen nec in sanguine, nec in externis quibus vivimus rebus queri & inveniri poterit. Et quum hic artuum motus secundum unius voluntatis variationem, ne dicam mille hominum, vel centies una tantum hora immutari possit; profecto nec sagacissimus perspicere & concipere valet, qua ratione a solo nexu & ordine caussarum physicarum, tam notabilis mutatio in corpore humano contingere queat: adeoque hæc harmonia præstabilita nullo modo, nec concipi, nec demonstrari, nec explicari potest. Neque caussalem animæ in corpus influxum hanc ob rationem in dubium vocandum esse censemus, quod modus quo fiat ratione capi nequeat, quum neque ullius substantiæ in aliam, neque unius corporis in aliud actionem, nisi experientia edocti, percipere & intelligere possumus; quin potius firmissime persuasum habemus, apprime hoc loco applicari axioma metaphysicum: quo posito ponitur statim & semper effectus, & quo remoto statim & semper removetur effectus, id recte caussa dici meretur. Denique nec similitudo illa, qua perspicuum huius harmoniæ conceptum tradere laborant, quod nimurum duo horologia ita ab artifice construi & effabricari possint, ut exactissime in determinando temporis momento, sine ullius in alterum influxu convenient, huic con-

considerationi accommodata & congrua esse videtur, eo quod hac ipsa saltim inter res corporeas distinctas congruentia, non vero inter corporeas & morales, adstruatur & illustretur. Tacemus iam quamplurimas malefanas consequentias, in moralibus, politicis & physico-medicis eliciendas, si liberis entibus quisquam influxum caussalem in corpus humanum plane abdicere velit. Sed nostri instituti iam non fert ratio, ut haec pluribus excutiamus, id duntaxat addimus & profitemur, voluntatem humanam a Deo non otiosam & inertem, sed efficacem utique & potentem esse conditam, ut imperium quoddam haberet in certa corporis membra, & per haec in alia quoque corpora operari posit. Neutquam tamen hanc nostram assertionem ad finistrum quandam sensum detorqueri volumus, sed potius id firmiter tenendum esse inculcamus, voluntatis humanae in dirigendis partium motibus, nec datum nec concessum esse pro lubitu & arbitrio cordis, arteriarum, aliorumque secretionibus & excretionibus dicatorum tubolorum motum regere, minuere, vel augere, sed eandem hoc sium imperium in externis tantummodo exercere artibus, ut exsequi poscit ea ad qua sepe determinavit: ineffabilis enim Dei sapientia voluit ut vita, sanitas, mors, morbi eorumque satiationes, non pure a mentis nostrae arbitrio penderent, sed a causis mere physico-mechanicis, quarum ipse auctor, praeses ac rector est.

§. XXV.

Quemadmodum vero voluntas humana, multorum malorum, miseriarum & calamitatum, prout ab im-

imprudentia & a pravo regitur affectu , caussa & fons est ; ita etiam plurima bona, successus rerum prosperi ac fortunati , ab eadem , si prudentia consilium & sana ratio eam gubernant , proficiscuntur. Gentilium , qui vera Dei cognitione & caussarum exquisitiori notitia destituti erant , omnium & faustorum & infastorum quæ cuique & aliis eveniebant , caussam ac fontem fortunam esse , communis & insita erat opinio : in cuius tamen significatione mirum variabant , dum alii pro Dea rerumque felicium & infelicium rectrice eam habebant , contra alii eandem ut mulierem pingebant , quo ex hac pictura nihil aliud quam ignorantiam & inconstantiam illam esse constaret , quinimmo Aristoteles eam sine oculis sine iudicio & sine prudentia esse asserebat . Hinc EURIPIDES apud ATHENAGORAM in *apologia* conque ritur :

*Sepe mibi subivit cura
Animum, dubitavi anxie
Deus an Fortuna regat
Hominum inconstanter vitam,
In qua & opinato sepius
Et inique miseri sunt quidam,
In familiis etiam claris,
Aliqui, quod nemo sperasset,
Absque Deo fortunati.*

Verum enim vero nos etiam hanc ipsam fortunam , quam veteres pro idolo habuerunt , ad Fauni , ut cum GELLIO loquar , & ignorantiae asyla relegamus . Nam sicut

26. 17.

sicut nihil quod sit in hac rerum universitate , sine causa sufficiēte & adaequata perficitur : ita etiam prospera & adversa quæ cuīque accidunt causis certis & quæ effectibus congruunt continentur , quæ tamen cognosci , intelligi & explicari debent . Nos itaque felicitatis & salutis humanæ , quatenus ab homine proficiuntur , causam esse judicamus prudentiam atque sanam & reetiam rationem disponendi res per congrua media ad certum finem ; & vicissim imprudentiam & depravatum affectum pro fonte & scaturigine infelicitatis & miseriae humanæ agnoscimus , unde vetus est parceria : quemlibet esse fortunæ suæ fabrum . Spectat vero hoc maxime illud JUVENALIS : Nullum Numen abest si sit prudentia rebus & OVIDII de Pont. IV.

Crede mihi miseros prudentia prima relinquit

Et sensus cum re consiliumque perit.

Eandem quoque in rem egregie faciunt hæc LIVII : ubi omnia summa ratione & consilio acta fuerunt , fortuna etiam sequitur . Et SALLUSTII verba in Catilin . Vigilando , agendo , bene consulendo , prospere omnia cedunt .

§. XXVI.

Quod si enim curatius perpendimus , unde rerum publicarum & multarum provinciarum prosperissimus status & integra salus dependeat , certe historiarum monumentis docemur , a principe iusto , prudente , bono & potente qui publicas res gerit , eam esse arcessendam . Ad victoriam in bello reportandam summa prudentia imperatoris opus est : & si quis in œconomia secundos exoptat successus , is utique harum rerum peritia & prudentia esse debet instructus . Par-

F

ratio-

ratione ut prospere & feliciter Medicorum in sanandis
ægris labor succedat, non cœca fortuna, sed Medici pru-
dentia opus est, quæ in eo consistit, ut ægrotantis non
minus quam morbi naturam ac indolem, secundum
omnium circumstantiarum rationes, paullo pervigila-
tius scrutetur, certas remediorum vires sciat & secun-
dum leges ac regulas ea opportuno tempore, congrua
dos & debito ordine præscribat, ad caussas, tanquam
omnium symptomatum productrices, subigendas pe-
nitusque eradicandas. Communis quidem sed pessi-
ma ae vana non modo vulgi, sed & haud indoctorum
opinio est, ad sanandos morbos præter peritiam etiam
fortunam in Medico requiri, qua ducti, eos solent e-
ligere qui pro felicioribus superstitione æstimantur &
a magnatibus in consilium adhibentur. Neque fa-
bula hæc quod unus Medicus præ aliis magis fortuna-
tus sit nostro demum ævo, sed a primis iam temporis
sub ipsa artis incunabula æcta deprehenditur, ita ut
primum & optimum artis salutaris parentem HIPPO-
CRATEM lib. de loc. §. 58. contra hoc ruditatis tegmen
strenue pugnasse & fortunam Medici nil nisi eius peri-
tiā esse, docuisse, constet. Meretur sane eximius
hic de fortuna Medicis locus, qui totus transcribatur;
ita vero habet: *Qui recte Medicinam novit minime fortu-*
nā respicit aut expellat, sed & cura fortunam & cum for-
tuna recte faciet. Nam fortuna sui juris est, nec ullius im-
perio subest, neque optantis est ad ipsam pervenire; Scientia
vero imperata facere cogitur, & facile est ipsam feliciter as-
sequi, si quis sciens uix velit. Deinde quid opus est Medicis
næ fortuna? si enim morborum medicamenta clara sunt &
mani-

manifesta , velut equidem arbitror , non exspectant sane fortunam ad sanandos morbos , sequidem sunt medicamenta . Si vero cum fortuna ipsa exhibere potest , non magis medicamenta , quam ea quæ non sunt medicamenta una cum fortuna exhibita , sanos faciunt . Quicunque vero fortunam ex Medicina aut alia quaquam arte expellit , dicitque eos , qui probare rem aliquam sciunt , fortuna non uti , is contrarium mibi iudicare videtur . Mibi enim soli hi fortunate assequi videntur , qui recte quid & male facere sciunt . Fortunatae enim assequi , est recte facere ; hoc autem qui sciunt , faciunt : non assequi autem , hoc est , si quis non sciat , hæc non recte faciet . Indoctus autem qui est quomodo is fortunate assequi possit ? si quid enim etiam assequatur , non memorabilem sane successum habebit . Qui enim non recte quid facit , non fortunatae assequi poterit , quam reliqua , quæ æquum est facere , non faciat .

§. XXVII.

Neque vero negandum est præter prudentiam & peritiam , non tam ad fortunam Medici in medendo , quam potius ad bonam existimationem & sui confidentiam comparandam , multum adhuc alia conferre , divina nimis rursum hæc omnia adgubernante providentia . Videlicet si in consilium vocatur ab iis qui multum auctoritate valent penes populum , si morbos non adeo malæ indolis epidemice grassantes v. g. intermittentes febres , catarrhales , variolas , morbillos , curandos nanciscitur , si ægris minus refractariis & præceptis exacte obtemperantibus medicinam facit , si forsan declinante morbo & superato jam periculo accitus remedia propinat , & quod maximum est , si offendit naturas

F 2

non

non adeo debiles, nec viribus exhausta corpora, & minus integra viscera, sed talia, quæ gaudent firma & robusta natura. Quo fit, ut sæpe plures Medici non adeo periti insignem nominis & famæ celebritatem consequantur, adeoque fortunati evadant; alii vero quamvis peritissimi, ejusmodi temporis, aliarumque circumstantiarum, licet fortuitarum, opportunitate destituti, frequentissime a plebeis non minus, quam etiam a viris sæpe præcipuis, ad iudicandum tamen de Medici peritia ineptis, imperitioribus & hoc modo fortunatioribus postponantur. Etenim ad res fortunæ obtinendas non sola hominis providentia sufficit, sed multorum benevolentia opus est; & quicunque ea destituuntur, quanquam non careant rerum suarum peritia, minus tamen felices perpetuo ratione eventum sunt.

§. XXVIII.

Consideratis iam ea qua par fuit brevitate & perspicuitate, factis & effectibus qui in universo continentur, nec non qua ratione iidem a caussis suis dependent, generentur ac producantur; reliquum est ut paucis adhuc indicemus: an, hæ caussæ earundemque ordines ex se & a se subsistentiam habeant, vel an potius caussam primam auctorem & directorem agnoscant? Spinoza & ante eum abortivæ philosophiæ infasti parentes, fatuum fatum parturientes, hunc rerum & caussarum nexum absolute necessarium & immutabilem esse putabant: saniores vero philosophorum & in primis theologorum eundem immutari posse nec absolutæ necessitatis esse assertunt, quo potissimum providentia divinæ fundamentum continetur, eaque propter nos

etiam

HOR

26. 17.

etiam prout superius docuimus, fati & fatalis necessitatis terminos ita explicandos esse censemus, ut dicamus: omnia quæ fiunt & eveniunt in universo in physicis, moralibus, politicis, immo certo respectu in theologicis, a certis & adæquatis causis dependere, quarum effectus fit immutabilis, licet illæ superioris directio-
ni pareant. Hanc Summi Numinis providentiam Stoici quidem non negarunt, sed eandem fato sive causarum secundarum ordini tam firmiter alligarunt, ut amplius ne ullam quidem in hoc causarum nexu a Deo fieri mutationem asseveraverint: quo factum est, ut precibus nihil plane tribuerent efficaciæ, quemadmodum id pluribus patet ex MAXIMI TYRII *differ-
tatt. philosoph. p.m. 307. sqq.* Etenim dicebant: quæ pre-
camur aut ad providentiam Dei, aut ad fati necessitatem,
aut ad cursum fortunæ referenda sunt; sed ad hæc o-
mnia prece non est opus. Si enim Dei est providen-
tia ea optime scit etra precem quæ nobis prosunt vel
nocent, quia nos ipsi curæ sumus. Et ridiculæ sunt
preces in fato, facilius enim flexeris tyrannum quam fa-
tum, quod non superiorem agnoscit, nec flecti potest.
Neque in rebus quæ a fortuna fiunt aliquid petendum
est, quia fortuna est improvida, insana sine ratione.

§. XXIX.

Quum itaque ex perverso hoc & præpostero de
providentia divina, fato, & fortuna sensu, ac conceptu,
tam perniciosa & execranda in verum Dei cultum red-
undarint consecratio; omni profecto cautione opus
est, ne in nostram quam auctore Christo suscepimus
religionem ullo modo iniurii simus, & talis potius de

F 3

Sum-

Summi Numinis rerum omnium directione interponenda est sententia, quæ attributis divinis, sacrissimis litteris & rectæ rationi conveniens sit & quam maxime accommodata. Potissimum itaque providentiæ divinæ momentum hoc esse asserimus; quod Deus non solum hos diversarum rerum ordines considerit & illorum existentiam ac operationem sustineat & conservet; sed etiam eosdem ad infinitam suam maiestatem, immensam sapientiam, summam bonitatem & nusquam circumscriptam potentiam demonstrandam, pro beneficio suo nonnunquam immutarit & adhuc mutare, vires & caussas eorum augere, suspendere & ad alium scopum dirigere valeat, adeoque extraordinarios & miraculosos effectus producat. Huic de miraculis sententiæ nonnulli obiiciunt: facta hoc modo in caussarum nexu insolita mutatione, ipsum hoc miraculum novo quodam esse abolendum, quo omnia in pristinum reducantur, porro, rebus omnibus corporeis tam arcte inter se connexis, non posse aliter fieri quam ut aucta, suspensa vel impedita ordinaria caussarum virtute, in vicinis & remotis partibus ingens quoque oboriatur mutatione; verum exigui admodum valoris & momenti hæc esse nemo non perspicit. Mutata enim a Christo in vicum aqua & inductis aquæ partibus simili nexus, structura, figura & magnitudine quam interiores vini partes obtinent, quid inde mutationis in vicinis aliis vel remotis partibus contigerit, ut opus fuerit ejus per novum miraculum abolitione, ego quidem nec capio nec intelligo? Pari ratione nullo modo demonstrari poterit, quicquam in omnibus aliis & contiguis & remotis partibus

tibus immutatum fuisse, quum hic ipse sacratissimus noster salvator leprosum sanaret & valde glutinosis tenacibus humoribus, quibus obstructa erant emunctoria, ut deterrimæ & corporis structuræ valde inimicæ fordes remanerent, præpotenti sua virtute fluiditatem & motum conciliaret. Notissimum est Chymicos præstantissima sua arte tantopere partium texturam immutare posse, ut ex veneno medicinam, ex salubri mortiferum, ex frigido calidum, ex calido frigidum, ex sapido insipidum, ex insipido sapidum, prodeat, & alia id genus admiranda plane, quæ natura sponte non gignit, efficere posse: sed uti nihil exinde mutationis in universi partibus accidit, ita multo minus hoc evenire censendum est, si Deus auctor, præses ac rector causarum ordinis omnipotenti sua vi quicquam in eo mutet.

§. XXX.

Proinde licet non negaverim, insolitas sæpe temporum anni constitutiones vi ordinis & cursus rerum naturalium contingere; attamen nec ullo modo dubitari poterit, Deum nonnunquam sine talium caussarum ministerio extraordinario plane modo agere, & ad demonstrandam suam iustitiam, probos confirmandos & improbe refractarios puniendos in atmosphæra venenum quod hominibus, bestiis aut vegetabilibus exitiale sit efficere, cogendo aptas in aëre materias, tempestates, tonitrua, ventosque excitare, & densissimas diuturnas tenebras inducere posse, quemadmodum id tempore Mosis in Aegypto, nec non sub mortem Christi factum esse sacræ litteræ fidem faciunt uberrimam.

Lucu-

Luculentissimum quoque huius in universum dominii documentum exhibet ingens illa mutatio¹, quæ post primorum parentum lapsum obtigit, & tanta fuit, ut cum omnium rerum intemperie, disharmonia motuumque inæqualitate, morbos, mortem & communem depravationem induxit. Simili miraculoſo prorsus & omnipotenti modo, per totalem illam inundationem, universum cauſſarum physico-mechanicarum ordinem & inde dependentem nEXum effectum, adeo in terrarum orbe Deus immutavit, ut deflentibus a puriori sua ac simpliciori indole & alimēntis & elementis, atque alienam plane vim & efficaciam induentibus, homines qui ante diluvium nongentos fere annos attingerent, vix centum post illud superarent. Nec extantiora magni huius & miraculoſi in rerum natura effectus defunt vestigia ac rudera, quæ in subterraneis cavernis per varia ſtrata & marina omnis generis animalia eorumque oſſa, ſceleta aliasque petrefactas partes diſtin-
tissime apparentes, noſtra etiam ætate, a rerum naturalium curiosis detecta & huic origini vindicata ſunt: adeo ut ipſi etiam ſceptici ſtupendi huius miraculi veritate, de divina ſacrarum litterarum auctoritate validiſime convincantur.

§. XXXI.

Inſtituto hoc de iis quæ miraculoſe præter naturæ ordinem in universo fiunt eventibus, ſermone, devolvimur ad quæſtionem: an Deus in Medicina faciat interdum extraordianrios adhuc effectus? & non diſſitemur, natu-ram ex cauſſarum ordine nonnunquam magnos & plane mirabiles producere effectus, nec tamen inficias ire pos-

possimus haud raro plane insolitos & qui omnem captum humanum exfuperant in re medica occurrere causas, ut ægri re penitus conclamata, & comparentibus jam signis certissimam mortem præsagientibus, præter omnium spem atque exspetationem eandem tamen effugiant & vitæ ac sanitati reddantur. Neque minus peculiarem plane Dei providentiam atque directionem in graviter vulneratis frequentius observare & admirari licet, dum in exemplis nobis aliquoties hic loci fuit, quosdam gladio perfolios fuisse, iis in locis, quæ partes vitali corporis conservationi immediate servientes custodiunt, illæsis iisdem manentibus, adeo ut exquisitissima partium earumque situs notitia instructus, vix destinata opera tam innoxie telum traiicere potuisset. Viliissimum sœpe & abiectum remedium chronicum & quam maxime inveteratum morbum dispulit penitusque subegit, quod in aliis, eodem morbo decumbentibus, ne minimum quidem opis tulit: ut taceamus frequentissima eorum exempla, qui fortuito quasi & insperato quodam eventu, solo casu, gravissimo ex morbo periculo erepti, sanitatem recuperarunt, quorum plura narrat BÖHNIVS de officio medici dupl. pag. 18. sqq. Et novimus ipsi quosdam assumto ex errore veneno a pertinacissimis morbis esse liberatos. Ecquis igitur negare ausit, in fortuitis ejusmodi casibus & minus prævisis, divinam caussarum & mediorum dispositiōnem ac directionem? cui nihil fortuitum, sed omnia ad certum finem sapientissime intenta sunt. Neque absonum est dicere; Deum adhuc in rerum natura, & per

G natu-

671



naturam, in productione monstrorum, ex sola virtute imaginatrice, & maxime in propagatione generis humani, patrare miracula: quum nulla ratione capi vel intelligi possit, quomodo corporis humani fabrica in unica liquoris seminalis guttula lateat, & quo pacto ovolum, ex ovario per tubam Fallopianam ad ipsum uterum accedit, aliaque id genus plura, quæ omnia luculentissime evincunt, divinam sapientiam longissime, omninem humanum transcendere captum.

§. XXXII.

Ultimo loco brevibus adhuc excutienda est hæc singularis momenti quæstio: num sœva quæ hominibus imminent fata evitari vel declinari possint? Negarunt id Stoici, autumantes, fata esse Deorum decreta, eaque propter immutabilia, nec ut APULEIUS effert, aliter se habere ac Proconsulis tabulam, qua semel leta, ne litterula quidem demi potuit vel adiici. At vero quum Deus nihil statuerit, voluerit vel decreverit in rebus humanis sine præcedente ordine & certa successione caussarum ad quam non solæ caussæ physicæ, quæ ex necessitate agunt & quas mutare homini integrum non est, requiruntur, sed frequentissime etiam hæ ipsæ cum caussis libere agentibus, hominis nempe ingenio, ratione & voluntate mixtae sunt, uti appareat in rebus moralibus, politicis & quæ ad sanitatem ac vitam tundam, nec non ad ægritudines præcavendas spectant; ita

26. 17.
ita nihil certe dubii superest, quin hominum prudenteria, providentia, arte, ingenio, summa ratione & mira virtute sacerdientis fortunae minae, miserandi casus, vis ac potestas superari, averti ac declinari queat: idque multo magis si devotis & assiduis precibus, quarum magna vis est ad imminentia fata & quævis atrocia mala declinanda, divinam opem, auxilium atque directionem in omnibus actionibus quis efflagitet. Et porro uti immoderatis animi affectibus & diætæ vitio plures fatales morbos, immo præmaturam mortem ante vitæ terminum, quem robusta corporis sui structura & legitimo rerum nonnaturalium usu assequi possent, mortales sibi accersunt: ita omnia hæc mortis & morborum fatali vitari ac declinari posse non est quod dubitemus. Denique omnium scientiarum, omnium doctrinarum & omnibus disciplinis excultæ rationis finis & scopus eo potissimum collineat, ut sacerdotalia fata æternæ damnationis in theologicis, ruinarum & calamitatum publicarum in politicis, infelicitatis & miseriæ humanæ in moralibus, egestatis in oeconomicis, morborum in medicis, his ipsis studiis avertamus & declinemus; quum sine hoc fine obtinendo, omnis eruditio & doctrinæ usus plane exspiret atque supervacaneus sit.

§. XXXIII.

Proinde non incongruum & a scopo nostro medico alienum erit, ut coronidis loco strictum edifferamus


G 2


mus

mus, qua ratione pessima quædam morborum imminentia, eaque sæpius funesta fata, declinari & evitari queant. Videlicet certa & indubia prout superius iam monuimus experientia constat, æquinoctium, in primis vernale, multis ultimam eamque fatalem afferre horam, & præcipue sanguine abundantes, cacoehymicos & ex hæmorrhoidum suppressione cachecticos senes, apoplecticis insultibus aggredi & hoc modo auferre; hypochondriacos vero & melancholico-maniacos, non modo circa tempora æquinoctialia, sed etiam circa solstitialia, gravius laborare & atrocia perpeti pathemata. Ad prævertenda itaque hæc mala certius & aptius non est præsidium, quam in decenti sanguinis missione, ante æquinoctia & solstitialia, maxime in partibus inferioribus instituta, quam postea externe frequens pediluviorum, interne diluentium & salubrium aquarum usus excipere debet. Porro quum fœminino sexui quinquagesimus & subsequentes anni maxime fatales existant, ob cessantem penitus sanguinis per uterum expurgationem, ita ut posthac easdem cachexia, scorbuticus languor, phlogoses, ventriculi & intestinorum spasmi aliquæ spasmodici affectus infestare soleant: nihil sane ad præservandas morbidas has afflictiones magis exoptatam locat operam quam sanguinis missio, primarum viarum a sordibus repurgatio, & transpiratio non sufflaminata. Senibus nihil æque infestum ac frigus intensum, frequens acidorum usus & vita nimis sedentaria, quæ, in primis si concurrent, senili etati congruos & quasi proprios excludunt morbos, stranguri-

am

am, exulcerationem vesicæ, calculum, atrophiam, co-
licam, scabiem sicciam, pruritus, tusses chronicas, rau-
cedines, noctes insomnes & huius generis plura, ad
quæ præcavenda abstinentia ab acidis, frigoris evitatio &
conamoda corporis exercitatio egregie faciunt. Virginibus
anni post decimum quartum gravia mala minantur,
eo quod menses erumpentes si non recte procedunt, vel
inordinata vivendi ratione cohibentur, gravem infe-
runt noxam, quæ proinde abstinentia ab otiosa vita, a
cibis acidis, dulcibus, farinaceis & qui lentorem san-
gtini inferunt, frigido potu & omni refrigeratione, de-
clinanda ac evitanda est. Iuuenes si fatales ætati suæ
morbos hæmoptysin & phthisin præoccupare velint, a
vehementiori corporis & animi commotione, potu
spirituoso, nec non frigido corpori calenti ingestu, sibi
temperare debent. Denique ab ingruentibus & epide-
mice sevientibus morbis qui immunes esse percupi-
unt, CELSI monitum lib. I. cap. 10. perquam studiose
teneant: *Tum vitare debet homo fatigationem, cruditatem,*
frigus, calorem, libidinem multoque magis se continere. Si
quæ gravitas est in corpore, tum neque mane surgendum, ne-
que pedibus nudis ambulandum est, neque movenda alvus, at-
que etiam se per se mota est, comprimenda est; adeoque o-
mni cura atque studio evitent quæ vires & robur cor-
pori suffurantur, quæ transpirationem suppressendo,
fordes excrementicias accumulant, & commendatissi-
mam habeant abstinentiam, qua cruditatum generatio-
nem avertitur & transpiratio opportune promo-
vetur.





26. IV.

Ff 2313

ULB Halle
002 621 924


3



TA → AC

M





FRIDERICI HOFFMANNI
DE
FATO PHYSICO
ET MEDICO
EIUSQVE
RATIONALI EXPLICATIONE
DISQUISITIO

IN QUA
**MULTA SUBTILIORIS INDAGINIS ARGU-
MENTA DE FATO STOICORUM, SPINOZÆ, MEDICO ET
PHYSICO, DE FORTUNA, PROVIDENTIA DIVINA, HARMONIA
PRÆSTABILITA, MIRACULIS NEC NON DE DECLINATIONE
FATI GURATIUS PAULLO TRACTANTUR ET EXCU-
TIUNTUR.**



HALÆ MAGDEBURGICÆ,
TYPIS CHRISTIANI HENCKELII, ACAD. TYPOGR.